

DE DISTRACTIONE. PIGNORUM.

8.28.1

Imp. Alexander A. Pacatae.

Fundum pignori obligatum, si creditor ex fructibus debitum persecutus est,
cum ipso iure pignus obligatione liberatum sit, distrahere minime potest.

PP. id. Ian. Maximo II et Aeliano consss.

[a. 223]

8.28.2

Idem A. Maximo.

Creditor, qui hypothecae seu pignori rem sibi nexam vendiderit,
rem litigiosam non videtur vendere, quia precario debitor possidet.

PP. XII k. Oct. Maximo II et Aeliano consss.

[a. 223]

8.28.3

Idem A. Luciano.

Hypothecis vel pignoribus a creditore venumdatis in id quod deest adversus
reum vel fideiussorem actio competit.

PP. III non. Nov. Maximo II et Aeliano consss.

[a. 223]

8.28.4

Idem A. Crescenti.

Creditor hypothecas sive pignus cum proscriptit, notum debitori fatere,
si bona fide rem gerit, et quando licet testato dicere debet, si quid itaque
per fraudem in pignore villae venditae commissum probate potes,
ut inferatur actio, quae eo nomine competit, adi eum cuius de ea re notio est.

PP. k. Iun. Fusco et Dextro consss.

[a. 225]

8.28.5

Idem A. Sossiano.

Si residuum debiti paratus es solvere, praeses provinciae dabit arbitrum,
apud quem, quantum sit quod superest ex debito, examinabitur: et sive
ad iudicem venire diversa pars cessaverit sive oblato superfluo ad venditionem
prosiluerit, improba alienatio proprietatis tuae ius non auferet,

PP. XII k. Aug. Pompeiano et Peligno consss.

[a. 231]